

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Viro Doctissimo Gottofredo Bvchnero
Rvdersdorffio-Eisenbergensi Svmmos In Philosophia Honores
VIII. Idvs Qvintiles MDCCXXIII Adeptos Gratvlatvrvs De ...**

Longolius, Abraham

lenae, [1724?]

VD18 1347829X

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-198371](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-198371)



Saepe numero fieri solet,
ut ob solam externam speciem
& formam uulgi de aliis bene
sentiat, atque illos sanctissime
colat, putans, praeditum quo-
dam senatorio decore mox esse
praetorem, uel, si mauis, consu-

lem, & sericum pallium, nescio quem, nobis pro-
dere polyhistorum. Contra minus bene uestitos, nec
forma conspicuos, fungos esse, existimant, eosque de-
spiciunt & contemnunt: quamuis saepe sub palliolo
fordido lateat sapientia. Inde uetus illud ac peruul-
gatum: *barba & pallium non faciunt philosophum*:
in cuius quidem originem paucis inquirere nunc mihi
constitutum est. Veteribus sanctum fuit alere bar-
bam, quod patet ex LVCIANO, (a) qui ibidem mox (a) in Cyn.
causam huius rei addit: ὁ γρότῃα, inquit, καὶ λειότητι tom. II. p.
σαρκὸς γυναιξὶ πρέπειν ἡ γυνὴ. αὐτοὶ δ' ὥσπερ ἦσαν, καὶ 918
φαίνεσθαι ἄνδρες ἤθελον. Καὶ τὸν πώγωνα, κόσμον ἀν-
δρὸς ἐνόμιζον, ὥσπερ καὶ ἵππων χαίτην, καὶ λεόντων γένειαν.
(2 carnis

carnis mollitiem ac laeuorem decere mulieres existima-
bant: ipsi uero sicuti erant, ita uiri quoque uideri
uolebant: ac barbam quidem cultum uiri ducebant, ut &
equorum iubam, & leonum barbam. Nimirum quam
maxime uiro conuenire, eique auctoritatem concilia-
re barbam, putabant. Hoc ex ueteribus ecclesiae do-
ctoribus, eos, qui uoluptati & deliciis seruientes ton-
debant, iradebant, uellebant barbam, mentumque mu-
liebriter glabrum reddebant, grauius reprehendenti-
bus, manifestum est. Iuuat in praesentia tantum no-

(b) paedag.
gog. lib. III.
cap. 3.

minare CLEMENTEM Alexandrinum. (b) Et IV-
LIANVS, apostata dictus, quum ob prolixam, quam
aleret, barbam irrisus esset ab Antiochenis, libro sa-
tyrico sale consperso, qui *Misopogon* ideo, uel *Antio-
chensis* inscribitur, se pulchre ultus, in eorum molli-
tiem & luxum, mordacem stilum acuit, suamque bar-
bam uiriliter defendit. Ad pallium quod attinet, hic
nimirum non communis Graecorum habitus, sed pe-
culiaris philosophorum intelligendus est. Hunc enim
honorem non quilibet sibi sumebat, sed philosophi fe-
re pallio suo se ab aliis distinguebant. Hinc tam fre-
quens pallii philosophici fit mentio. Quum uero multi
essent, qui barba & habitu solo philosophos mentiren-
tur, licet de cetero pura puta mendicabula, indocti et-
iam, imperiti & impostores essent, res haec in prouer-

(c) N. A.
VIII, 2.

(d) in eu-
nuch. tom. I
p. 980.

bium abiit. Notabile exemplum apud GELLIVM (c)
est. Ridet tales philosophos, qui *barba tenus sapientes*
alias uocantur, LVCIANVS: (d) *εἰ ἀπὸ πάγωνος*, inquit,
*βαθὲς κρῖνεται δέοι τὰς φιλοσοφούσας, τὸν τεράριον ἀν δι-
καίωτερον προκληθῆναι πάντων.* Si e barbae prolixitate
philosophos aestimare conuenit, nimirum hircus ante
omnes

omnes iure primas tenebit. Barba ista 'maiores sibi
 gravitatem & dignitatem' conciliari, arbitrati sunt. Id
 quod iterum patet ex LVCIANO, (e) ubi iudex sen- (e) l.c. p.
 tentiam de eunucho, num ad colendam philosophiam 979.

admittendus sit, prolaturus dicit: καὶ ὁρῶμα καὶ σώμα-
 τος εὐμοιρίαν προσεῖναι φιλοσόφῳ δεῖν, καὶ τὸ μέγι-
 στον, πῶθ' ἂν βαδὺν ἔχειν δυνάμει. καὶ τοῖς προσεῖσιν, καὶ
 μακρὰν βουλομένοις, ἀξιόπιστον, καὶ πρέποντα ταῖς μυρ-
 αῖς, αἷς χρηρῆσθαι βασιλέως ὑποφέρειν. Oportere habi-
 tum & corporis integritatem philosopho adesse, maxi-
 me uero gerendam illi esse promissam barbam, quo uide-
 licet iis, qui discendi studio accedunt, uir fide dignus
 adpareat, non indignus decem illis millibus drachma-
 rum, quae ab imperatore capiuntur. Adductum ita-
 que prouerbum dicitur primum in eos, qui inuita Mi-
 nerua, philosophiae sacra tractabant, uel impia pror-
 sus docebant. Quam in rem IVSTINVS martyr. (f)

γράφει, inquit, ὅτι καὶ οἱ τὰ ἐναντία δοξάζοντες καὶ
 δογματίζοντες τῶν παλαιῶν, τῷ ἐνὶ ὀνόματι προσυχεύον-
 ται φιλόσοφοι: Vos non latet, eos quoque, qui longe
 Tryph. p. 217.

diuersa a ueteribus opinati atque arbitrati sunt, uno
 & eodem cum illis nomine philosophos uocari. Dein-
 de eos, quorum uita doctrinae non respondebat, qui-
 que perditissimis uiuebant moribus, notat. Tales enim
 apud paganos non defuisse, inprimis propugnatores
 christianae religionis docent. In praesenti modo

TERTULLIANVM (g) citabimus testem. Digna (g) apolog.
 quoque sunt uerba elegantissimi scriptoris, MINVCII cap. 46. de

FELICIS, (b) quae hic legantur: philosophorum su- 47. p. 36.
 perculia contemnimus, inquit, quos corruptores & a- (b) in O-
 dulteros nouimus & tyrannos, & semper aduersus sua 43. staui. p. m.

- uitia facundos. Pulchre quidem ad uirtutem hortabantur, docentes, uirtuti esse studendum, eiusque praecepta in usu habenda, sed paucissimi uita demonstrabant, quod PLINIUS (i) de Euphrate suo, philosopho, praedicat. Elegantia sane sunt uerba SENECAE: (k) *facere docet philosophia, non dicere: Et hoc exigit, ut ad legem suam quisque uiuat, ne orationi uita dissentiat, ut ipsa inter se uita unius, sine actionum dissensione, coloris sit.* Magnifica enim philosophi, in primis stoici, iactabant de uirtute eiusque studio uerba, sed maximi fuerunt simulatores, quod M. CATO apud GELLIVM (l) iis obiicit. Et XIPHILINVS (m) tradit, Senecam multorum scelerum, sed praesertim, quod cum Agrippina rem haberet, reum factum esse. Quibus dictis mox addit: *ὁ μόνον δὲ καὶ ἐν τῷ, ἀλλὰ καὶ ἐν ἄλλοις πάντα τὰ ἐναντιώματα, οἷς ἐφιλοσόφει ποιῶν ἡλέγχθη.* Nec enim in hac re solum, sed in plerisque aliis contra facere uisus est, quam philosophabatur. Quae eius uitia pluribus deinceps recenset. Hos SENECA (n) elegantissime uocat *cathedrarios philosophos*, hoc est, tales, qui tantum in cathedra sapientiam praefereunt, multum de uirtute garrientes, non autem re & opere in uita eam monstrant, sed potius uitii prauisque cupiditatibus obtemperantes exemplo suo comprobant, se ex eorum esse numero, quos EPICETVS apud GELLIVM (o) adpellat philosophos *ἀνευ τῆς πράξεως, μέχρι τῆς λέγειν, factis procul, uerbis tenus.* Videatur hic omnino celeberrimus ACKERVS, praeceptor meus semper pie colendus. (p) Orat SENECA (q) causam philosophorum, qui non praestant, quae loquuntur. Id iste

(i) lib. I.
ep. 10.

(k) epist. 20.

(l) N. A.
XIII. 22.
(m) epit. Di-
on. in Ne-
ron. p. m.
271.

(n) de bre-
uit. uit. c.
10.

(o) XVII.
19.

(p) disp. de
calib. phiof.
Ien. olim
hab.

332

iste quidem callide: nouerat enim in se conuenire, ^{(?) de uita}
 quae homulis iis obiicerentur. At uero stultis forte, ^{beat. c. 17.}
 fucum facit acutus nugator, sed cautis hominibus est
 derisui, ac declarat prorsus, philosophum, ad uirtu-
 tem tendentem, magna, immo maiora, quam natu-
 ra sua patiatur, conari, eaque, quae a sola gratia ex-
 spectari & possunt & debent solis suis uiribus adgredi-
 endo parum proficere. Philosophandum igitur est,
 sed uita, sed moribus, operaque danda, ut, quod
 CORN. NEPOS ^(r) de Attico laudat, philosopho- ^{(r) in uita}
 rum & philosophiae quiuis ita *percepta* habeat ^{c. 17.}
praecepta, ut iis ad uitam agendam, non ad ostenta-
tionem utatur. Superent philosophi christiani, ita e-
 nim decet, paganos: *non habitu sapientiam*, (licebit
 enim elegantissimis MINVCII FELICIS ^(s) uerbis ^{(s) in O.}
 hoc exprimam) *sed mente* praeferant: *non eloquan-* ^{ctau. p. 43.}
tur magna, sed uiuant: glorientur se consequutos,
quod illi summa intentione quaesuerunt, nec inuenire
potuerunt. Ita enim fiet, ut de pulcherrimo erudi-
 tionis & uirtutis, qui ex diuina uoluntate est, nexu
 olim gaudeant. Hic igitur quum *TIBI, VIR DO-*
CTISSIME, semper ita placuerit, ut pro uiribus cum
 doctrina uerae uirtutis studium coniunxeris: nunc
 merito dulcissimos huius rei percipis fructus. Vbiuis
TIBI in optimis litterarum studiis, is, ad quem o-
 mnes contendere debemus, praefixus fuit scopus, sic,
 ut ad solidam, uirtutis uia, laudem cum maxima
 mentis laetitia atque alacritate grassatus sis. Ex meri-
 to itaque adeptus es honores. Quibus et si dudum
 ob uirtutes, quas optimus quisque collaudat, di-
 gnus fuisses; non sero tamen nunc obtingunt. Scis
 enim

333

(1) lib. 1.
ep. 17.

enim, quod PLINIVS (t) adfirmat: *sequi gloriam, non adpeti* debere. Iam ergo TIBI exspectatiores illi ueniunt & gratiores. Excurrem hic in laudes TVAS, sed TV nec uis, quae TVA est modestia, laudari, nec indiges mea laude. Quem enim res ipsa laudat, quem consensus sapientum comprobat, nae ille est laudatissimus. Nimirum ab amplissimo philosophorum ordine summos in philosophia honores adeptus es: quod sane TE iis dignissimum esse demonstrat. Eos itaque TIBI ex animo gratulor, atque DEVM TIBI fortunare uolo. Idem seruet TE, coepta fortunet, & quidquid agis destinasque, bene euenire iubeat. Ceterum uale, & me porro in numero amicorum tuorum habe. Scribebam

Ienae d. XV. Kal. sextiles

CIO IO CC XXIII.

